

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput XVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

psal. 21. In te speraverunt patres nostri, in te speraverunt
 et liberasti eos, ad te clamaverunt, et salvi facti
 sunt. Et si cogitemus per generationem et genera-
 tionem, videbimus, quod omnes qui sperant in te
 i Mach. 2. non infirmantur; latentus igitur omnes, qui sperant
 psal. 24. in te, et qui noverunt nomen tuum, quoniam non
 dereliquisti quærentes te Domine. O anima
 psal. 54. mea iacta super Dominum curam tuam et ipse
 te enutrit, Revela Domino viam tuam, et spera in
 psal. 56. eo et ipse faciet. Delectare in Domino et dabit tibi
petitiones cordis tuis.

Caput XVIII.
 Aspiraciones ad Deum ob
 eius immutabilitatem.

i O Deus infinite semper idem permanes, nulli
 mutabilitati obnoxius; quæ enim mutantur
 transeunt de esse ad non esse, aut de non esse
 ad esse, aut ex magnis fiunt parva, aut ex par-
 vis magna, aut alias et alias induunt quali-
 tates, aut tandem ex loco in locum transmi-
 grant; huiusmodi autem mutationes in te lo-
 cum habere nequeunt; non prima, quia tu es
 actualissimum esse, cui repugnat aliquando
 non fuisse, aut aliquando futurum esse; idem
 enim ipse es et anni tui non deficient. Non
 secunda quia tu semper es maximus, imò ex om-
 ni parte immensus, unde nec incrementum nec
 decrementum in te admittis. Non tertia, nam
 bonitas tua, et quidquid qualitas vocari solet, quæ
 est essentia, tuumque semper idem esse. Non
 quarta, cum coelum et terram impleas, et
 nusquam desis. O Deus meus quam admi-
 rabilis et incomprehensibilis est hæc tua
 immutabilitas; Quis enim capere sufficit,
 quod quadam sublimis substantia ab æterno

existat, quae mundum ab ea creatum ac omni mutationi obnoxium perpetuo gubernat; quin tamen ipsa in minime unquam in se mutationem subeat? O Deus redigo ego intellectum meum in captivitatem fidei. *¶* Credo, Domine, credo te prorsus esse immutabilem. Ah utinam ad te immutabiliter beatum tandem pervenire possim.

Es etiam o Domine immutabilis in operando; licet enim operaris omnia in omnibus, atque universa immutes, vel dando eis esse, quod non habuerunt, aut tribuendo melius aut maius esse, quod antea caruerunt, aut permittendo, ut indecivius esse probabantur, aut ea ex uno ad alium locum transferantur: haec ^{tamen} omnia absque ulla sui mutatione facis, ~~ad eum~~ ^{enim} sicut ignis absque mutatione sua aequam sibi applicatam calore sepe facit, ita et tu immotus semperque ^{per} idem manens universa moves ~~res~~, ac sola voluntate tua res quasi ad te accedentes immutas; non es ergo Domine Deus sicut filius hominis, ut muteris. Quemadmodum enim in essendo immutabilis es, sic et in operando semper idem permanes. utinam et ego tua hanc immutabilitatem in moribus meis imitari, aut etiam exprimere possim, ut videlicet optulante gratia tua, quam suppliciter imploro, fiam immutabilis in bono, atque constans et perseverans in virtutum exercitiis, maxime vero inter adversa et prospera semper immotus permaneam, omnia aequa lance pensando.

Nec solum natura et operatione, verum etiam consilio atque sententia immutabilis es, o Domine Deus; nemo enim, ut ait Job, avertere potest cogitationem tuam, nec pro valet resistere ju-

Num. 23.

Job. 23.

diuisi tuis, quod semel voluisti ac decreuisti, fixum
 immotumque persistit. Haec fuit aeterna cogitatio
 tua, ut si agerem poenitentiam à peccatis meis,
 ageres et tu poenitentiam à poena, quam mihi
 eras illaturus, non quidem quia mutaris in co-
 gitationibus tuis, sed quia ego peccator mutor
 in operationibus meis. Et certe si mutabilis es
 in consiliis tuis, ~~non~~ ^{non} sancti in caelo, forent beati;
 perpetuo quippe metu angerebantur, ne tu aliquando
 mutata voluntate tua eos à te abiceres. Verum
 quia decretum de felicitate aeterna eorum, quos
 elegisti, ut tecum perpetuo regnent in caelis, prorsus
 immutabile est, stabilisque, quamdiu Deus eris; inde
 fit, quod sancti tui perfecta felicitate perfuan-
 tur. O Deus iam ab aeterno etiam super me
 tulisti sententiam, an autem ad mortem sempi-
 ternam, vel aeternam meam beatitudinem plane
 ignoro; hoc unum scio, quia si tu me praedestinas-
 ti ad gloriam, quod spero de tua infinita mise-
 ricordia, infallibiliter per tuam gratiam eam
 sim consecuturus, decreta enim tua sunt immuta-
 bilia. Sed dato, quod non sim in libro tuo scrip-
 tus, dato, quod non sim te amaturus in aeternum,
 hoc ipso per totam vitam meam amabo te, et
 amore tui seruiam tibi; si enim homines mun-
 dani adeo inhiant, et adherent rebus tempora-
 libus, quia illis non sunt fructuri post mortem,
 quanto equius tibi sumo bono adherere, leges
 frui volo in vita, si te non sum fructurus
 post mortem. Esto ergo, quod te caream in
 caelo, hoc ipso nolo te careere in terra, ne sim
 bis miser hic et illic.